

**Dissertatio, quaedam de asthmate spasmodico complectens ... /  
Eruditorum examini subjicit Joannes Heath.**

**Contributors**

Heath, John, active 1787.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1787.


**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/h55wbffw>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE SPASMODICO.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 354

LECTURE NOTES

BY

12  
D I S S E R T A T I O,  
Q U Æ D A M D E  
A S T H M A T E S P A S M O D I C O  
C O M P L E C T E N S.

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,

Ex Auctoꝛitate Reverendi admodum Viri,

D. G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P r æ f e c t i ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J O A N N E S H E A T H ,

A N G L U S ,

S o c . R e g . M e d .

N e c n o n

S o c . N a t u r . S t u d . S o d . E x t r a o r d .

A d d i e m 12. S e p t e m b r i s , h o r a l o c o q u e s o l i t i s .

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,

A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

---

M, DCC, LXXXVII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

TO AMELIA SIMSON

GUILHELMUS ROBERTSON

PROF. G. R. H. DOCTORS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

RECEIVED

APR 12 1892

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

CHICAGO, ILL.

Avi sui dilecti

JOANNIS SIMPSON

Nomen

Huic opusculo

Praefigere,

Ob beneficia multa,

Nunquam obliviscenda,

Et curam, qua eum fovit;

Nec non

Adi in dicit

JOHANNIS SIMPSON

Thomas

Hinc opulento

Frangere

Ob beneficiis vestris

Nunquam obliviscenda

Ille curam, qua cum fovit

Nec non

Nec non

JOANNIS JACKSON,

Artem Chirurgicam apud Londinum

Feliciter exercentis,

Ut observantiae et amicitiae

Testimonium,

Exoptat

A U C T O R.



OLANIB VACATION

At the ... of ...  
...

U. S. ...

U. S. ...

\* “ Medici autem *Philosophia* omnis in expiscandis morborum historiis, iisque remediis adhibendis, quae, experientia indice ac magistra, eosdem valent depellere, tota stat; observata tamen (ut alibi dixi) medendi methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed trito et naturali cogitandi modo, innixa) ei dictaverit.”

SYDENHAM.



D I S S E R T A T I O,

Q U Æ D A M D E

ASTHMATE SPASMODICO.

C O M P L E C T E N S.

“ **V**ETUS, sed verissima, et medicorum  
et vulgi est sententia, respirationem  
et vitam pari ambulare passu \* ;” unde pulmones  
conservare sanos, maximi momenti fit. Multis  
affectioibus adnectitur respiratio laborans; in  
hac vero, de qua disserturi sumus, speciatim per-  
turbata, et quoniam causas sui proprias agnoscit,  
medicorum attentionem multam vindicat: Ad  
A historiam,

\* Hoffman.

historiam, definitione sequente praemissa, progrediemur; “Spirandi difficultas per intervalla subiens; cum angustiae in pectore sensu, et respiratione cum sibilo strepente; tussis sub initio paroxyfmi difficilis, vel nulla, versus finem libera, cum sputo mucii saepe copiosa \*.”

In insulis hisce, nostrisque plagis, forsitan magis est hominibus, quam alibi, molestae haec affectio; quare, si postuletur, coeli temperies mutabilis, a plerisque, non sine causa, incusabitur. Ab ea nullus est immunis corporis habitus, adjectis saltem iis, quae ejus ortum inducere solent: At quidem Hoffman. experientia edoctus, eos, qui *temperamento sanguineo* sunt, praecipue ei esse obnoxios, commonuit.

Raro insuper, nisi puberes, haec affectio adoritur; et mares ei magis esse opportunos, vix disputandum videtur; forte quia causis eam inducentibus saepius quam foeminae objiciuntur.

Quoniam signa quaedam accessionis initia vix non semper praegrediuntur, ea, nunc recensere, est nostrum; eorum etenim series, quamvis subinde incerta et varia, plerumque aliter se habet, nec illa habitum ordinis facile amittunt.

Hoc

\* Nofol. Meth. Cull.

Hoc morbo ineunte, ventriculus distensus, post cibum assumptum, persentitur; et ructus aliquantulum sunt molesti; languet homo, de- lassatus quasi fit deinceps, et iners; hebetior e- vadit sentiendi facultas, et obtunditur; caput gravatur, et sub vesperi, iterata oscitatio et pal- pitatio, somnolentum esse aegrum praeter soli- tum, indicant: Tuffis aliquando inquietat, et plus minusve rauca fit vox: Praecordia, sicut pondere quodam, opprimuntur, et pulmones, ut nimis constricti, aut minore spatio inclusi et coarctati, peculiari sensu afficiuntur, unde respi- ratio aliquantulum impeditur: Urina largior est, et pallet, quamdiu increfcit malum, et acer- bior est accessio: Morbo inchoante, manus, ma- gisque adhuc crura et pedes, frigescent, nec nisi quando morbus decursurus est solitum calorem recuperant.

Praegressis his signis, plerumque malum, sub media nocte, omnes vires suas colligit, magis- que fit saevius: Ægro nunc valde inquietato, et morbo admòdum molestante, saepe somnus abrumpitur, crebro necnon et multo labore re- spiratur, et strepit animae meatus; irregularis enim haec functio evadit, seriusque postquam in- halatione fuit, expiratur; qui insuper ad spiri- tum

tum reciprocandum inserviunt muscoli, nunc multum convelluntur, atque irregulares, et conturbati, quod ad actionem suam, redduntur: Vox interea, non ac antea, manet, et tussis interdum angit; resupinus aeger non facile respirat, aerae praeterea frigescentes, quaeque in coelo frigidiore flant, avide captantur, et ore aperto, naribusque dilatioribus, recipitur spiritus; inter respirandum, necnon, collum tumet, et thoracis muscoli atque humeri multum exercentur. Primo inhorrescit corpus, ut febricitans solet, et vultus pallet; postea calore exorto, et accessione provectiori, genae suffunduntur rubore; id etiam, quod antea capiti fuerat molesto oriri, et a quo gravedo inducta, in dolorem nunc se vertit: Sudores, frontem circa et tempora, prorumpant: Sitis exquisita vexat, et cum lingua, fauces, naresque arescunt valde, hincque proculdubio quies nunquam oriri solet.

Ventriculi tanta fit interdum distentio, quod ipse vomitus cietur, quo biliosa quaedam materia nonnunquam ejicitur: Gelidi liquores nunc solum, quia tepidi inflationem ventriculi augentes, suffocationis sensum reddunt majorem, placent: Adde huc, quod abdomen haud raro flatibus distenditur; alvus adstricta; ac cor irregulari  
motu

motu vibrat, ab arteriis inde debili more, sub-  
misse, et irregulariter, nonnunquam micatur,  
quamvis interdum solito fere ordine: Oculi  
quodammodo prominent; acie fiant obtusiori et  
hebescent; lachrymae sponte profluunt; colla-  
buntur muscoli, et subsidunt; extrema valde,  
praeter solitum, frigent; languet totum corpus,  
praesertim si diuturnior sit accessio; sopor inse-  
quitur, aut delirium, aut etiam animo linquitur  
aeger.

Quamvis hoc modo fere semper severior asth-  
matis accessio progreditur, tamen ejus aggressio  
aliquando non tam saeva est, citius desinit, et  
varia indicia exhibet; scilicet, quia nihil univer-  
sum est, nec omnia quaevis norma complectitur:  
Namque interdum solummodo per duas horas  
eadem commoratur, interdum per totam fere  
noctem, mane autem remissa.

Foeminis nonnunquam, ut adnotarunt peritifi-  
simi homines, sub hujusmodi accessione, menses  
aliquando supprimuntur; aut contra citius quam  
soliti sunt, malum fortasse levaturi, profluunt.  
Provectiori morbo, sed raro quidem incipiente,  
ne stranguletur aegrotans est timendum.

Ut supra memoratum fuit, postquam per to-  
tam noctem multum molestiae et inquietudinis  
exagitavit,



exagitavit, plerumqua juxta diluculum mitescunt omnia, facilius et liberius respiratur, nec amplius, ut antea, constrictio pulmones opprimat, sed gradatim discedit; solitae renovantur secretiones; et quo citius aliquid expuitur facile, etiamsi sanguis intermiscetur, eo magis vires suas remittit morbus; humectari incipit cutis, et mollitur; fitis urgere cessat; et caput, nec tantum aut gravatur, aut dolet; ventriculus nunc minus distenditur; intestina, reddita cum multo spiritu alvo, minus perturbantur; urina ejicitur interim rubida, et sedimentum postea deponit; porro aeger, vexantibus incommodis, quae praegressa erant, nunc solutus, in placido somno, hominis solamine, et insigniter reficiente, requiescit.

Fugax vero est hoc levamen; quamvis enim interdum non tam vehementer saeviat morbus, sed aliquantulum videatur mitior, sub vesperi, iterum praecordia laborare incipiunt, et constringi; alia denique signa, quae priorem accessionem comitata erant, nunc alteram illatura, recrudescent, et fere juxta eandem noctis horam, incipientia, similem peragunt cursum, et excreto mucosum desinunt. Hocque in modo, per quasdam noctes, sic se res habet; at plerumque tertio, quarto,

quarto, vel quinto die, accessiones abscedunt omnino. Duobus ab initio diebus, parcius mucus, quam aut tertio aut quarto, ejicitur; in iis vero excreatur idem, minus viscidus, magisque pus simulans.

Non indignum est, nec ab hoc negotio alienum, adnotare, quod quo diutius accessio perstat, eo magis intervallum, ejus incurfionibus interpositum, protractius erit, et magis ipsa affectio sopietur et interquiescet; in rationem vero assumendum est, in qua plaga degitur, qualis est victus, quae consuetudines, et alia non levioris momenti.

Quandocunque hic morbus semel adortus est, postea vix non iterum redintegratur, sed intervallis forsitan haud aequalibus; morentur enim accessiones, aut accelerent, multa quae fortuito contingant: Et quamvis ejus incurfibus primis non multum damni inferatur, tamen, utcunque vigens sit corpus, et ejus effectibus obsistendum, eosdemque tolerandum, aptum videatur; infirmabitur denique, renovato saepius malo, nec vires suae, ac olim, sufficient; donec tandem, fracto vigore, morbi non minus quam ille, cui originem debent, vexantes, exoriuntur; et postremo, nunc languens aeger, et exhaustus, gradatim

datim ad Lethi januam fertur, et supremum diem claudit.

Qui morbi hunc insequi solent, pro vario corporum habitu, variantes, multi sunt; ut hydrothorax, phthisis pulmonalis, et hectica ejus febris, haemoptysis, anasarca, ascitis, et non raro hoc aut illud membrum, nervis resolutis, inutile factum; seniores insuper, quorum pulmones antea sic laborarunt, rheumatismo, calculis, aut in renibus aut vesica, hospitantibus, ictero, diabete, saepe affliguntur.

Catervam talem istorum, quae quasi clanculam humanis corporibus vires furripiunt, in animo versantibus, quomodo ea praecavenda sunt, nos tantum ignorare, an curantis prava sit ratio, an ad negotium perficiendum ipsa ars medici cujusvis, etiam peritissimi, non sufficiat, multum est certe dolendum: Nos enim penes non multa sunt; et humanum ingenium arctis limitibus continetur; namque sub dio noxae innumerae vagantur, nostra conamina spernentes, et aut profunda nocte obtectae, nostram effugientes aciem, aut potentiores, quam cum quibus conflictari possumus. Etiam si vero admodum injucunda sit contemplatio talis, certe non praetermittendum, quanta commoda ab arte salutari profluere

profluere solent; nec eos quorum est officium  
indicare

“ How best the fickle fabric to support

“ Of mortal man,”

desides et ignavos, desperare oportet: Homini enim hanc legem ipsa natura imposuit, quod nullo remedio uno, aut etiam compluribus, ejus mala, quaecunque sint, semper amoveri aut praeveniri possunt; aut differri mors, ille exitus, omnibus in terris degentibus, expectandus: Sic quidam solers et doctus differuit: “ Homo enim, “ quamvis sanus et robustus et vegetus, labentibus annis, et ipse dilabitur, fenescit, moritur, “ in pristina elementa solvitur, aliis animantibus pabulum futurus \*.”

Vix necessarium videtur, quomodo signa variantur, et subinde se in conspectum edentia, commutantur, recensere; quia utilitatis aliquid, a tali descriptione, orturum esse, aut medicum usum promoturum, incertum est; ideoque hujusmodi omnia pertransimus; nec, sicut eorum

B

pleraque

\* Gregorii Consp. Th. Med.

pleraque ex casu et fortuito occurrunt, in rationem medendi generalem assumenda, habemus.

Cadaverum incisiones, ut vix aliquam effugerit, non adhuc luculenter nobis monstrarunt, quamvis maxima accuratatione institutae fuerint, unde aut malum ortum fuit, aut qualis est indoles; namque, etiamsi multum hoc insectantibus laboratum fuerit, tamen ipsa res, quia tam obscura erat ex natura, non hactenus patuit; ideoque istius partis corporis functionem conturbatam esse, cujus causae mutationum forsitan nunquam detegentur, concedunt omnes. “ Plurimae vero et certissimae observationes satis superque demonstrarunt, multorum morborum causas neque in humoribus neque in generali corporis compage solida sitas esse, neque ullo pacto sensibus nostris detegi posse; nimirum quae saepe in *genere nervoso* lateant, et oculorum et omnium sensuum aciem fugientes, solis effectibus sese prodant \*.”

D I A G.

\* Gregorii Praef.

## D I A G N O S I S.

Tot jam in hujus affectionis historia prolatis, quomodo ab aliis, non multum a se discrepare apparentibus, discernatur, proximum est recensere. Quanquam variis in modis respiratio male se habeat, tamen plerumque notis sui propriis hic morbus indicabitur; et an adsit, an aliter, judicantes non multum haerebimus; ille vero, qui Angina Pectoris appellatur, si Heberden, Fothergill, Percival, aliisque sit confisum, asthma spasmodicum adeo simulat, quod scriptores illi, quamvis doctissimi et multa tentantes ipsi essent, signa, quibus mutuo inter se affectiones hae discernantur, non satis statuerunt: Siquando enim ea, in utraque se manifestantia, perpendantur, aut causae, quibus induci solent, aut etiam remedia, quibus ambae levantur, omnia haec fere eadem invenientur; et propterea forsitan mala hujusmodi, ut idem solummodo variatum, non sine causa, habenda; ubi vero in quavis *nosologia methodica* angina pectoris est ponenda,

nenda, non ad nos pertinet: Equidem morbos, quibus est obnoxium humanum corpus, nominibus innumeris designare, ad eos solummodo, etiamsi acerrimum sit observantis ingenium, mutuo confundendos, et sitne hic, sitne ille, nubibus obvolvendum, conferret: Nimis forsitan tyroni audaciae esset, talem errorem huic distinctioni asseverare non desuisse: Non vero certe absolum haberi potest, hic innuere, quod multum et curae et accuratationis necessarium erit, antequam, laboret quicumque velit, quid sit discrimen certe potest cognosci. Hic morbus non raro hominem subito e vivis auferens, dolor nunc in hoc, nunc in illo cubito perceptus, sensatio peculiaris juxta sternum, praecipua sunt indicia, quibus inter asthma et eam affectionem dignoscatur: Sagax Fothergill, de ista re differens, sic ait, “ No doubt, as there are no two  
 “ human bodies precisely alike, so there will be a  
 “ great diversity of symptoms; but there is one  
 “ in this singular distemper, that, so far as I  
 “ have seen, always marks it distinctly, which is,  
 “ that sharp constrictive pain across the breast,  
 “ which always supervenes a certain degree of  
 “ muscular motion, or whatever agitates the  
 “ nervous

“nervous system\*.” Si vero attento animo ad negotium accingamus nosmet, forsitan illa signa etiam in asthmate idiopathico contingere subinde observabuntur, nec discrimen inde potest clare detegi.

Nunc quidem in hoc satis morati sumus; atque revera, quia tantum de illo fuit ambigitum, nihil, collatis omnibus, hic licet ut certum proferre.

Sicut causae originem ei generi respirationis laborantis praebentes, quae apud medicos scriptores dyspnoea audit, magis continue perstant; effectus etiam, violentia forsitan variantes, ex necessitate magis continui erunt: perseverantia hujus igitur duorum morborum discriminis indicio erit; etenim aeger asthmaticus, requiescentibus ejus vexationibus, et intervallo iis interposito, prorsus ad solitam conditionem redit, et, ut antea erat, fit sanus.

Quibus indiciis hic morbus ab hydrothorace distinguatur, non difficile cognitu; ei enim adjunguntur multa, quae in asthmate plerumque desunt; namque in posteriori, respiratio fere semper laborat, nec interquiescit ejus molestia; spiritus non editur strepens; insuper pallore leucophlegmatico

\* Fothergill, secundum Elliot, p. 520.



cophlegmatico squalet vultus, pedes intumescunt, parca est urina, at lingua non munera sua recusat; a quibusdam etiam ut nota praecipua fuit habitum, quod obdormiscens quivis hoc correptus, subito anxius aut territus expergiscitur, nec, nisi erecto corpore, spirat facile \*; hydrothoracis haec; et quia morbo nostro abesse solent, distinctionem plerumque monstrabunt.

Restat vero alius morbus qui forsitan cum hoc confundatur (viz.) cynanche trachealis; sed ingens hic non labor, nec multa obscuritas; vix enim est necessarium aliquid, praeter haec; quod infantes et teneriores cynanche praesertim adoriuntur; quibusdam anni temporibus epidemica est; laryngem et tracheam praecipue infestat; atque aut cito in lethum desinit, aut aegrum, forsitan nunquam reversurus, linquit; asthma vero, aut aetate proVectiores, aut plerumque adultos, corripit; nunquam epidemice grassatur; et si quando semel aggressus est, vix postea decedit, sed per totum vitae cursum, etiamsi intervallis dubiis atque incertis regrediens, fere perstat.

Nec interea nobis ut culpa imputetur, si de aliis praecordiorum affectionibus hic fileamus; sunt

\* Vid. Cullen's First Lines.

funt enim, quamvis ex iis respiratio aegre perficiatur, et quod ad notas, quibus insigniuntur, causasque a quibus proveniunt, tam late distantia, ut vix aliquem, quid sit discrimen, effugiat.

### CAUSÆ MORBI.

Proxime funt a nobis percurrendae causae, quae hunc morbum suscitant; utque consuetus ordo talium non praetermittatur, in eas, quae opportunitatem inducunt, et excitantes, dividantur: Quod ad priores: Cujusque viventis esse quoddam peculiare et quasi vitae ipsi adnexum, et a parentibus suis vitia delata infantes recipere, vetustissimis mundi seculis observatum fuit: nec aliquis fere inter humana sananda mala hanc observationem neglexit; id, quod in parentibus et sua prole tam simile videtur esse, an temperamentum, oris lineamenta, forma et habitus, an morbi quibus haec aut illa familia corripitur, in rationem sumantur, huc spectat; nec aliam explicationem ea facile accipiunt: Pro-

avos

avos enim et gignentes humanum corpus, atque ipsa mens, nonnisi fero, abjicit; hincque robusti et vigentes aliqui nascuntur, alii labe haereditaria inquinati, aut delicatiores et teneriores, ad funera, fere illico ex natu, efferuntur: Nec sic res se habere est dubitandum.

Sive autem *ipse* morbus foetum, dum in utero latet, arripuit, sive tantum talis conformatio est, quod ad organa et membra ejus, qualis, causis quodvis malum excitantibus, facilius afficitur, non haecenus innotuit prorsus, et forsitan nunquam detegetur; quisquis vero nostro implicetur, non omnino sine causa suspicari licet, eum, ex partium structura, et prava, quaecunque sit, forma, tali affectione affligi; praesertim si de hac re ratiocinantibus non omittatur, qualis est corporis habitus, quod, prae aliis, hujus affectionis invasioni solet esse obnoxium. Auctorum, testantibus scriptis suis, experientia suadet, istos, qui, ut supra indicatum, *temperamento sanguineo* sunt, quibusque laxiores fibrae, plus quam firmiores et robusti, huic morbo saeviori esse obiectos; illos nempe, qui, ut physiologorum solitis utamur verbis, tam *mobiles et irritabiles* sunt, quod levibus causis, an illae corpus, an animum afficiant, conturbantur: Nos quidem prorsus  
igno-

ignoramus, quae mutationes aliae, laxioribus et debilibus muscutorum fibris, nervos afficiant; hoc vero nec haecenus medici cujusvis indagatio arripuit, nec fortasse per saecula futura in lucem proferet;

“ Quod latet arcana, non enarrabile fibra; ”

laxitas haec vero, et mobilitas \*, quae ab ea vix non semper oriunda, muscutorum respirationi intervientium fibris praecipue adnectuntur, et eadem, causis excitantibus quibusdam admotis, in tantum affurgunt, quod *paroxysmum asthmaticum* inducere videantur; aut etiam, in corpore infirmato, forsitan ea, quae non protinus debilitant, ad motus abnormes ciendos, sufficiant, atque deinceps tali affectioni originem praebeant.

Talem proclivitatem, nec haereditariam vero, aut in utero acceptam, sed postquam cursum suum incipit ipsa vita, et in quavis aetate posse induci, vix dubitandum; etenim tales causae, casu quodam, et quasi inopinato, viribus ingen-

C

tibus

\* Quicumque laxus est, facile irritatur; Haller ideo, debilitatem et irritabilitatem, *in quibusdam casibus*, promiscue usurpavit.

tibus admoventur nonnunquam; hincque a partibus, quas afficiunt, vigorem subducentes, eas magis exquisitè sentientes reddunt, et causis levioribus propterea vexandas\*. Non solum aliorum morborum ratio, sed usus, in hoc curando maxime proficiens, in tali conditione, sic opportunum esse corpus, indiciis videntur.

Ut aëris ingressui pulmones per omnes fere eorum meatus objiciuntur, inde abundant valde, et variae sint causae hunc morbum excitantes; omnes illas percurrere supervacaneum foret; si igitur eas, quae maxime ad hanc affectionem inducendam conferunt, et quae inter homines praesertim invalescunt, recenseamus, fat sit.

Ambientis aëris temperies ideo, et indoles, praecipue est hic, nobis talia perpendentibus, assumenda; ad haec, observantes pulmones, munera, et officium, quo funguntur, animum non attendere non possumus.

Quantum aut ad inferendas aut summovendas quasvis corporis affectiones, valet aër, medicinae ipso ortu agnoscent homines; proculdubio, eo excluso aut inquinato, non amplius vivimus; quare nescimus fere, ipsa res quotidie probatur:

Idem

\* Cullen's Physiology.

Idem insuper tanti est, quod si quando varietur, humani corporis conditio variat; et quo magis tenerior, aut morbo infirmatior fit quis, eo citius mutationes ejus, et coeli novam temperiem, sentit.

Quum aër superincumbens nobis ponderis commodi est, necessario comprimit, et inde corporis solida constringens quasi, sustentat ea, atque vigentiora reddit, functionesque omnes habiliorem adipiscuntur vim; aut etiam, sine incommodo, vehementior adhuc fiat talis pressura, nec aliquid mali insequatur: Contra vero, si quibusdam, certe non spernendis, fidere licet, idem nocuit admodum, quandocunque rarus, et tenuior factus erat, et, adjunctis quidem aliis, haud leviter, ad hunc morbum excitandum, contulit\*.

A consuetudine autem, quae merito altera natura nuncupatur, multa impune tolerat humanum corpus; “A multo tempore consueta, etiam si deteriora fuerint, infuetis minus molestata esse solent †.” Etenim, qui excelsa in loco

\* Gaubii Pathol. Mead's Med. Works. Van Swieten Comm. in Boerh. aph. 824.

† Hip. Aph.

loco incolunt, asthmatis expertes, non raro in vallibus ejusdem fubeunt accessionem, et vice versa: Sic quoque urbanus in rus migrans subito, si hoc morbo antea correptus fuit, eodem implicatur; et idem sensit rusticus urbem appetens\*: Siccior aër fere nequaquam est adeo incommodus, quam humidus, et in quo vapores natant. Floyer, qui certe experientiam propriam fide retulit, nec auctoritas ejus in hoc negotio aspernanda, observavit, quod ipse, pluyente coelo, aut nebulis obscuro, semper pejus se habuit, et respirandi difficultas, cui obnoxius fuit, magis angebat; quod necnon, incumbente procella, exasperabatur multum affectio illa; mutabilis aër praeterea multo ei fuit incommodo, et facile vicissitudines ejus antea cognoscere potuit †.

Inter causas excitantes quoque calor vehemens et frigora sunt recensenda; posterioris effectus nocivus melius, quam illustris Hoffman, nequaquam possumus depingere: “ Si quid ex  
 “ causis occasionalibus est, quod asthma con-  
 “ vulsivum inducere potest, certe est externum  
 “ frigus, hostis ille nervoso generi inimicissimus.

“ Unde

\* Mead Monit. et Praecepta.

† Vid. Floyer on Asthma.

“ Unde hiemali tempore, flantibusque ventis  
 “ aquilonaribus, ingravescit malum; et a frigido  
 “ quoque potu exacerbatur. Imprimis obser-  
 “ vavi illos, qui pectus non bene tegunt, illud-  
 “ que frigori, maxime nocturno, exponunt, fae-  
 “ pius hoc malum incurrisse \*.”

Calor, utcunque admoveatur, non raro hunc morbum excitat; et observationi, quam Helmont nobis objecit, adjiciatur, quod Floyer, indicans, cum

———Torrens———Sirius———

Ardebat coelo, et medium sol igneus orbem

Hauferat,

VIRG.

magis, quam etiam bruma, hanc affectionem vexare; at in quibusdam, proculdubio, accessiones ejus, hyeme saepius quam aestate, exoriri †, iisdemque non raro gravedinem et destillationem accedere.

Per aëra necnon disperguntur vapores impuri, et, postquam in pulmones fuerunt inhalati, vitae adver-

\* Hoffm. de Asthmate.

† Baglivius inquit, “ Asthmate concussivo laborantes melius manent aestate, quam hyeme.”



adversantes, atque, inter multa mala quae inferunt, haud raro asthma originem praebent; eorum praecipui et maxime infesti sunt plumbi, hydrargyri, arsenici, sulphuris \* et carbonum fumi, aut aquae fortis, calcis vivae †, &c. exhalationes; hinc, qui in fodinis occupantur, et fabri, qui metalla exercent, huic malo, prae aliis, obnoxii: Adde huc, aër mephiticus accessiones easdem infert; pulvis quoque, interdum valde subtilis, et quasi ubique sparsus, in bronchias devehit solet, et superficiem eorum internam adeo irritat, quod respirationis organa forsitan ad motus abnormes cieantur.

Huc quoque odores grati sint, an aliter, sunt referendi; omni enim animanti tantum est peculiare, tam varii habitus, talisque idiosyncrasia, quod etiam maxime fragrantia, quibusdam asthma inflixerunt; sic nicotianae fumus, adfuetis plerumque valde gratus, aliis tam adversus sentitur, ut interdum hujusmodi malum suscitetur: Sic, in omni vitae negotio, variae exoriuntur causae, et fere innumerae fiunt.

Quantum aut indole non innocuus, et quantitate non idoneus, ad morbos ciendos, victus confert,

\* Vid. Van Swiet. jam citat.

† Vid. Hoffm.

confert, quotidie observare licet, atque hic morbus talem causam praecipue agnoscit; comper- tum est enim, cibum omnem viscidum, ex car- nibus confectum, et eum, a quo flatus oriuntur, vel eum, qui a plantis comparatur, aequae huic affectioni favere; scilicet, quia tantum inter se ventriculus et pulmones consentiunt, quod hic raro sive distendatur, sive aliter, pulmonibus prorsus immunibus, et praesertim nunc male se habent. Ebrietas et multus Bacchus praete- rea eodem spectant; vinum etiam meracius e- undem effectum praestat; liquores necnon, ma- gisque si non satis fuerunt fermentati, a byne parati, nonnunquam hanc morbum induxerunt; et fere semper ex usu eorum accessio fit acer- bior, teste Floyer, atque intervalla contractiora.

Excitatum, praeter solitum, vivum corpus, quasi flumine adverfo, fertur postea, et vires e- jus collabuntur; sicque, non minus facile ab ex- citantibus animi affectionibus, quam deprimen- tibus, ut moerore, tristitia, similibusque, induca- tur haec affectio; hincque, causis istis recta af- ficientibus, mens aliquantulum (plusve sit an mi- nus) exagitatur, sanguis insolito impetu et velo- citate propellitur, et omnes, sive vitales, sive a- nimales sint, functiones, conturbantur: Ipse pa- ter

ter medicinae hoc modo observationes suas exhibuit, “ Difficultate autem spirandi laborantibus, clamore et praecipiti iracundia abstinendum \*.”

Terror et horrores subito illati, quibus pulmones multum conquassantur, valde hujus morbi ingressui favent, et praecipue in istis, qui antea eodem correpti fuerunt †: Mens nimis exercita, an lucubrationibus, an pervigiliis protractioribus; Venus nimis culta; exercitatio vehemens, atque diutior, semper corpus infirmans, hujus loci quoque sunt; effectus enim similes edere solent.

Sanguinis nimia detractio, in iis, quorum pulmones facile irritantur, huicce affectioni causae fit; quodcunque etiam thoracem angustat, ex necessitate, et magis adhuc in opportunis, huc tendunt; subitae praeterea aut victus aut quorumcunque consuetorum mutationes sunt hic enumerandae. Van Helmont, et Mead, doctissimi quidam medici, lunae vicissitudines incusarunt; tamen, etiamsi multum auctoritati tantorum hominum certe debetur, quod de hac re in animo conceperant, experientia non sancivit.

Auctoribus

\* Hipp. Epid.

† Whytt's Nerv. Dis.

Auctoribus quibusdam recensita fuerunt, ut hoc malum excitantia, haec, hydrothorax, circa pulmones congesti pinguedinis multum, hypochondriasis, hysteria, arthritis subito retrocedens\*, profluvia quaedam suppressa, ulcera pertinacia citius sanata, exanthemata et aliae eruptiones evanescentes, et cordis atque vasorum ampliorum, mala, &c. &c. †. Futuris permittendum est, an omnia haec, inter hujus affectionis causas, memoranda.

Causis, quae forte contingant, et incommodo origini sint, nunc praeteritis, ad proximam recta progredimur; et argumentum propterea suscipere cogimur, quod semper, etiam a vetustissimis medicinae aevis, usque ad nostra, quodammodo fuit disputatum: “Cognitio causae morbum tollit,” nemo ignoravit; et inde de proxima cujusvis morbi causa multum fuit indagatum; quare, sic laborantes, tam exigue proficerunt, non industriae eorum languenti, sed ipsi obscurae negotii indoli, est ascribendum; deficit, quod ad multa, humanum ingenium, et natura progressus suos multa caligine obtexit; non

D defue-

\* Vid. Whytt. Cullen's First Lines.

† Hoff, Bonetus, Floyer.

defuerunt enim urgentia complura perscrutanti-  
bus; atque omnibus de hac re litem moventi-  
bus (ut ipsi fassi sunt) multa desideranda esse,  
conceditur, sive de caeteris morbis, sive de hoc,  
disputatum fuerit.

Nodus vero, qui huic negotio adnectitur, in  
quorundam morborum naturam scrutando, us-  
que dum ingenio humano plura detecta fuerint,  
et latior campus ei objectus, non solvi potest;  
quam verum hoc, affectio ipsa, de qua nunc dis-  
ferimus, testatur: Et quoniam tot insignes et doc-  
tissimi homines tantum impenderunt operae, et  
nihilominus colliferunt opinionibus, quanquam  
eas cautissime protulerunt, tironem aliquid  
audere, temerum foret; idcirco ad eam, cui  
observatio hominum multa expertorum favet,  
nosmet recipiemus, et certe eam illustr. Culleni  
amplectimur\*.

Bronchias spasmō constringi, sicque a condi-  
tione solita mutari, nec, ut antea, munus suum  
perficere, quaedam suadere videntur; insuper, alias  
partes, respirationem adjuvantes, eodem tempo-  
re, a solito divertī, verisimile est; sive ex ori-  
gine mali sit hoc, sive ad consensum istum in-  
signem,

\* Vid. First Lines.

signem, quo, aliae multae corporis partes, et praecipue respirationis organa, mutuo inter se nectuntur, referendum; quomodo causae, quae fortuito et varie offendant, bronchias commoventes, actionem suam exercent, non facile explicabitur; si autem primo laryngem, quam, ut monuerunt quidam merito non obscuri nominis, talis affectio praesertim appetit, arripuerunt, consensu eodem multo latius ea propagari solet, et exinde muscoli intercostales et septum transversum agitentur\*, atque motibus corripiantur abnormibus, hincque, simul cum vitio primario, noster exoriatur morbus.

Erroris forsitan aliquid immisceatur; nec ad rem ipsam *usque* talis explicatio pertingat; sed laete proculdubio accipietur, quodcunque aliùs saeculi observatio, et futuri homines inveniant.

## R A T I O

\* “Dico ergo in asthma hoc vitium esse in musculis convulsis, primario in diaphragmate, secundo in reliquis musculis.”

Etmuller de Insp. laesa.

## RATIO SYMPTOMATUM

Opus est proximum ; hicque solummodo insigniores hujus mali notas, utpote quae solae attentionem merentur, colligemus, et earum rationem reddere conabimur ; plura quidem aggredi fortasse supervacaneum videretur.

A cibo non rite concocto oriuntur ventriculi distentio et flatus, quia nunc infirmius est illud organum, et inde, ut solet semper, quodcunque assumetur ore, ab eo copia aëris insolita, extricatur.

Laborat respiratio, quia aut impeditur pulmonum meatus, aut ipsi contractiores, non ut antea aëra possunt accipere ; aut etiam debiliores, aegrius eundem expellunt.

Palpitat cor, et dolet caput, ob respirationis difficultatem, quia non amplius per pulmones, solito more, rebus sic se habentibus, transmittitur sanguis, a corde profluens, hincque congeritur juxta idem, et male afficiens, palpitare facit ;  
quiaque

quiaque similibus ex causis, obstat, quo minus rite a capite reductus sit, dolor ibi exoritur: Forfitan vero aliquid istius affectionis nervis est adscribendum. Experimenta, a solerte quodam homine, nuper instituta, aliam explicationem nobis objiciant\*.

Conturbata respiratione, necessario vox aliquantulum deficiet; etenim, ut articulati sonitus edantur, conamine quodam e pulmonibus spiritum ejici, postulari videtur; hincque, labentibus illarum partium viribus, in hac affectione, ipsa impeditur, aut nonnunquam vehementiori accessione penitus supprimitur: Ligamenta glottidis, modo non facile explicando, mutata, forfitan in rationem assumere licet.

### P R O G N O S I S.

Quodammodo injucundum est plerumque augurium, quo de hujus morbi eventu praefagire licet,

\* Differt. Inaug. Ds. Goodwyn.



licet, quamvis interdum perstiterit diu, nec ab incurfibus ejus multum fractum fuit corpus: In quavis quidem ejus accessione, non abest periculum, praesertim si inter spirandum, valde succutitur homo, exquisitius angitur, et admodum laboret; cor immaniter palpitatur; suffunditur vultus; arteriarum pulsus submissus, celer, et irregularis est; atque frigescent extrema; praecipue autem metuendum est, quando accessiones pertinaces et diuturnae sunt, ipseque morbus per multum tempus vexavit; magis necnon adhuc, quo aetate provectiori est aeger, timendum: At vero, morbo recenti, viribus fere integris, iuxta thoracis forma, pulmonibus intactis et illaesis, auxilia, quae medicina adfert, fortassis voti competes nos reddant, et aut malum levent, aut etiam si, si exoptandus ille hujus morbi exitus mortalium arti permittitur, omnino fugent.

CONSI-

## CONSILIUM MEDENDI.

Ultima nunc, et certe gravissima hujus dissertationis pars, instat: Medendi autem quaevis ratio, etiam peritissimos, saepe fefellit; et quotidie videndum est, quantum haec affectio summam curantium artem spernit: Quod ad nosmet, hoc negotium percurrentes, tam paucissima expertos, et rudes adhuc, nihil adjicere, aut novae lucis affundere posse, dolemus; non igitur nobis culpa vertatur, si solummodo, quae aliorum experientia suggestit, et ab illis accepimus, proferamus; et remedia, quae, etiamsi iis non prorsus affectio tollatur, ad eam mitigandam maxime idonea videntur, et lenimini pollicentur esse, recenseamus.

Adque hoc propositum rite absolvendum, duplici modo, ut infra positum, est consulendum; nempe, ut

Quam citissime ipsa accessio summoveatur, et  
ejus regressui obstetur:

Tramite,

Tramite, quo medici confueverunt, non aberrantes, auxilia, quae ad primum consilium perficiendum conferre habita sunt, percurremus; et profutura sint, an aliter, perpendere tentabimus. Primum est sanguinis detractio:

Multum certe damni temero et incauto hujus remedii usu illatum est, et eundem propterea in hoc tractando morbo reprobandi compluribus occasio praebita; at neglecto, ab aliis, Celsi, multa scientis, monito, "Interest enim, non  
 " quae aetas sit, neque quid in corpus intus  
 " geratur, *sed quae vires sint* \*," in omni hujusce mali accessione violenta, ad detractionem sanguinis, veluti ad Palladium, se receperunt: Quoniam, ea persistente, sanguinem per pulmones aegre transmitti colligere fas est, talem subductionem, et ejus molem imminutam, progressum suum expedituram esse, argumento fuit; et hinc, urgentibus signis, saepe missus est sanguis. Sed nec in rationem assumptis, quae, in hoc malo experientia talem jacturam insequi monstravit, nec quales, in similibus morbis, effectus edidit; causae ipsae, si de iis recte judicavimus, eam ventant: Attamen, sicut ab opinionibus, quae tam  
 late

\* Lib. 2. cap. 10.

late invaluerunt; et tantorum mentes occuparunt, dissentire, forsitan audacius, quam decet, videatur, et ignarorum solummodo esse; quae, magni jure nominis medici observarunt, audiamus: Eruditus Hoffmanni haec sunt verba: “Sanguinis, quae per venae sectionem fiunt, missiones, nunquam in ipso paroxysmo debent institui, quoniam malum inde fit deterius, ac contumacius \* :” Eodem spectat insuper, quod insignis Baglivius in tabulas retulit: “Licet sanguinis missio paroxysmum asthmatis statim sanat; frequentes tamen sanguinis missiones, sanguinis tonum labefactant magis ac debilitant, et hinc demum morbus desinit in hydropem universalem. *Quare corrigenda est potius causa asthmatis, quam frequenti phlebotomia demulcenda †.*” Millar quoque, homo certe expertus multa, de eadem tractans, inquit: “At first, bleeding was prescribed with a view of alleviating the most violent symptoms; and it had, in some measure, the effect, though the respite it procured was only temporary, the paroxysm returning with greater violence;

E

“ and,

\* Hoffm. lib. 3.

† Prax. Med. lib. 1.

“ and, when even a small quantity of blood was  
 “ taken, the effect of other medicines was nei-  
 “ ther so immediate nor certain\*.” Floyer  
 necnon, qui ipse tanta ex hoc morbo perpeffus  
 est, sic ait: “ From the use of this remedy I  
 “ found no relief, but the severity of the fits  
 “ was increased †:” Utque has citationes clau-  
 damus, illustris Cullen, sanguinis detractionem  
 minus esse necessariam, quam quidam opinati  
 sunt, inculcat ‡: Equidem, quia venaefectio, la-  
 tice subducto, vitae tam necessario, ut cuncti  
 agnoscunt, omnia corporis laxat, et vigore suo  
 orbat, eam hunc morbum vix sublaturam esse,  
 sed potius aucturam, expectandum est; atqui a-  
 lia multa non desunt auxilia in ejus locum suf-  
 ficienda: Melius vero huic negotio finem im-  
 ponere non possumus, quam citando verba  
 hominis apprime docti: “ Semper quoque  
 “ memoria tenendum est, tantam saepe quasi  
 “ puncto temporis ab intempeffiva sanguinis  
 “ detractione corpori inferri perniciem, quan-  
 “ tam neque optimi medici peritia, neque  
 “ omnia medicinae subsidia postea compen-  
 “ sare potuerint. Sanguis enim semel missus,  
 “ nun-

\* Millar on Asthma, p. 42.

† Floyer on Asthma.

‡ First Lines.

“ nunquam in venas redit, viresque cum illo  
 “ amissae in variis morbis haud facile reficiun-  
 “ tur \*.”

Emetica ventriculum exonerantia, saburra, quae quando debilior est, et propterea ingesta non rite concoquit, flatibus valde molestat, gravatum admodum, utilia solent esse; sunt vero et alii effectus non minus exoptandi, quos praefant, “ His forte nonnunquam auxilio esse pos-  
 “ sunt vel magno suo stimulo et agitatione cor-  
 “ poris, vel nova et saniore sanguinis et vis  
 “ nervosae distributione, quam efficiunt †;” et hoc consilio (verisimile enim videtur) quidam auctor ‡, famae non ignotus, tam solícite usum eorum iteratum commendavit, etiam in malis, quibus ea multum favere nonnulli existimarunt: In eandem praeterea sententiam ivit Floyer, quem toties citavimus; lenioribus vero hujusmodi medicamentis ciendus est vomitus; sique, dum interquiescunt accessiones, tententur, fortasse bona ab iis expectanda majora erunt, magisque permanentia; namque, si dum saevior est morbus,

\* Greg. Consp. Med. Vol. 2.

† Id. lib. de Vom.

‡ Dr Bryan Robinson on the Effects of Medicines.  
 Whytt's Nerv. Diseases.

morbus, et accenditur valde, usurpantur, ne hominem, admodum moventia, strangulent, non deest periculum.

Quia asthma laborantibus adstricta alvus incommodo solet esse magno, eam leniter solvere proculdubio proficiet multum; ideo clysmatis subducere maxime convenit, quia hunc effectum praestant, intestina a faecibus et flatibus liberant; nec tamen infirmant; dum dejicientia, et ejusmodi remedia valentiora, corpori vigorem auferunt, et vires attenuant.

Si quando accessiones sunt praeter solitum pertinaces, epispastica, non sine fructu, admoveantur; proficere autem videntur magis, quia stimulant, quam ob humores ab iis elicitos; quoniam vero tarde operantur, et an bona allatura sunt, an aliter, incertum, quiaque dolorem et molestiam beneficia vix compensant, ab eorum; morbo leniori, usu, medici se retinuerunt.

Antispasmoda varia, accessione ingruente, ei objecta fuerunt; quantumque opium praestat, plerorumque auctorum scripta testantur, et experientia multa, commoda, ab ejus usu idoneo profluentia, monstravit; liquidam adhiberi debet; nempe quia, sic citius et facilius nervi idem sentiunt, et potentiam ejus agnoscunt; huc quoque

quoque referantur, camphora, castoreum, moschus, asafoetida, aether vitr. alk. et spirit. volat. &c. &c. quae omnia (ut inquit Whytt \*) stimulo cujusque proprio nervos ita afficiunt, ut ii deinceps non solum irritationem, quam multae nocivae causae excitant, minus praecipiunt, sed, ut videtur, aliquid vigoris, saltem per temporis quoddam spatium, adipiscuntur :

Camphora huic affectioni insigniter adversari dicta est, et multas propterea laudes accipit †; solutaeque, effectus et citius se manifestant (sicut opii) et magis valent; at quidem remedium est vires cujus nemo hactenus fortasse retexit omnino, et igitur idem administrantibus aliquantulum est cavendum; nonnunquam utile, in spasms summovendis, arte compertum est, idcirco beneficia, ab eo, in hoc morbo, expectare licet. Castoreo autem laudis tantum adscribere non possumus; atque eo, sive ejus vires non satis cognitae fuerunt, sive ipsum est medicamentum iners et inutile, raro hodie utuntur medici ‡. Moschus, adversus etiam spasmos, utilis est; sagax Millar, ob beneficia, quae praestitit, eum saepe administravit; usquedum quan-

to

\* Nerv. Dif.

† Millar jam cit.

‡ See Clinical Experiments of Dr Home.



to magis afaetida profecit, et quanto potentius remedium fecit, expertus erat: Eam et ano, et ore, ingessit; ore assumpta, inter alia commoda, distentionem ventriculi sustulit; at clyfma alvum multo spiritu reddi fecit: At quidam sunt homines, quibus sapor ejus non tolerandus est, quibusque ejus odor admodum ingratus, immo, etiam adeo, nequaquam accipere possunt. *Æther* etiam, alk. et spir. volat. saepe profunt. Haec remedia interdum mutare, et nunc hoc, nunc illud, usurpare, idoneum erit; etenim, ut saepe observatum, unum valde efficax fuit, postquam alterum, nullo fructu, tentatum erat.

De nicotianae fumorum usu ambigendum est; et potius iis, qui ante assueti fuerant, accommodantur. Quantum fomenta et pediluvia proficiant, nec ratum, nec compertum, inter auctores videtur esse; quia vero laxant, saepe iterata, illa nocitura esse, colligatur. Sub accessione decocta emollientia varia, quae nonnunquam adhiberi solent, non sine causa intermittantur; etenim ventriculum distendentia, et infirmitia, forte morbum augeant.

Cibus, morbo urgente, maxime idoneus, levis fit, et qui facile concoquatur; carnes enim evitandae,

tandae, et, in eorum loco, juscula nutrientia sufficiens: Victus, qui a plantis comparatur, et potus non rite fermentatus, rejiciantur; atqui hauriantur potius latices frigescentes, et acidi fere semper vini pauxillo, adjecto: De calore aucto est sedulo cavendum, et aegri cubiculum non praeter sexagesimum secundum gradum Fahr. therm. calere debet, sed puro aëre et frigidulo perflari. Tempestivo auxiliorum talium usu vix non mitior fiet morbus, et forsitan accessio adoriens prorsus tollatur: Nihil vero, quam tonica, quae corpori vigorem imperiuntur, et regimen idoneum, magis ad ejus recursui obsistendum conferet; haec igitur proxime nobis obvenientia, percurrenda, et quae sunt, narrandum; sicque secundum consilium, cujus supra mentionem fecimus, perficiendum.

Tonica, quae experientia maxime utilia comperit, cortex Peruvianus sunt, amara, aut quae ex ferro parantur: Quantum illa ad corpus roborandum valent, et quomodo administrari debent, nemo, in medicinae versatus, ignorat; et idcirco de istis verba facere supervacaneum foret; aut simplicia, aut inter se conjuncta, usurpantur; fortasse, si quoddam aromaticum iis adjiciatur,

jiciatur, efficacius adhuc profint : Flores Zinci \*, et Colchicum Autumnale, insignia beneficia sic laborantibus adferre, nuper dicta sunt.

Balneum frigidum praeterea, caute usurpatum, quia corpus roborat, non praetermitti debet ; ut quam salubre in hac affectione est, non dubitetur, omnes auctores, de ea differentes, adantur ; etenim una voce illud eximie ad sanitatem recuperandam conferre asseverarunt † : Forte non minus fit utile in maris-aquas immergi.

An fonticuli et setacea proficient, dubio fuit : quomodo enim in tali morbo profutura sunt, non facile explicationem accipiet, aut ratio reddetur. Floyer, quod ad seipsum, nunquam aliquid commodi ab iis percipit ; etiam si quendam cujus humero vulnus inflictum erat, et qui asthmate laborabat, quamdiu ulcere insequenti emanabatur, ab eo prorsus immunem esse, ut aliquid dignum memoratu protulit in medium.

Nunc quale regimen maxime idoneum videtur indicandum ; et alia, quae aegrotanti nihili certe non sunt ; victus, quando morbus se remittit,

\* Wither's on Asthma.

† Floyer on Cold Bathing. Baynard on the same. Smollet's Travels.

tit; nutriat, et ni impediat aliquid, lautior; simplex vero semper; non qui flatus cieat; ingluviæ evitanda, nec fumatur plus, quam quod vires ventriculi subigere possunt; vinum, liquoribus ex byne paratis, anteponendum; ardentes, aqua immista, liquores in vini locum suffecti, eos, præcipue qui iisdem fuerunt affueti, nonnunquam adjuvant\*: Sit vero nihil immodicum.

Quoniam coeli mutationes exquisite ab hominibus sic affectis sentiuntur, aëra quam maxime sincerum esse, summa cura præcavendum: Montium vicina raro impune asthmatici petunt, quæ, venti gelidi, et boreas incertus percurrunt interdum; a quibusdam etiam urbes fugiendæ sunt; aër vero modica temperie, et serenus exoptandus; unde multi in Australi Gallia, Hispania, Italia, Madiera Insula, &c. optima fruuntur sanitate, qui, in nostris regionibus, hoc morbo fuerunt admodum vexati; in rationem vero fumendum, qui sit aegri habitus, et quomodo hanc aut illam aëris mutationem antea passus est; hincque, ut ait Celsus, “ eum qui propria  
 “ non novit, communia tantum intueri debere;  
 “ eumque, qui posse propria potest, illa quidem  
 F “ non

\* Whytt.

“ non oportere negligere, sed his quoque infif-  
 “ tere. Ideoque, cum par scientia sit, utiliorem  
 “ tamen medicum esse amicum, quam extrane-  
 “ um \*.” Quod ad vestitum, anni temperies  
 quae sit, consulendum; adnotetur vero, indusium  
 laneum vix unquam tuto abjici posse; haud raro  
 enim sic accessiones multum dilatae, et mitigatae  
 fuerunt.

Turbis animi corporis functiones omnes ma-  
 le afficiuntur; et morbi, quibus antea fuerat op-  
 portunum, saepe inferuntur: Maximi est igitur,  
 animum, praesertim in hoc malo, esse tran-  
 quillum et placidum, jucundis oblatis;

“ Just so the mind, by various thoughts amus'd,  
 “ Nor akes itself, nor gives the body pain:”

studia, quibus incumbitur nimis, lucubrationes,  
 pervigilia, ebrietas, nimia venus, quia corpus,  
 aequae ac animum infirmant, longe absint; sicut  
 excitantia omnia.

Exercitatio, sub aethere sereno, ad sanitatem  
 reducendam adeo confert, quod, sine ea, omnia  
 auxilia proculdubio irrita cedent; hinc ambula-  
 re,

\* Lib. 1. cap. 1.

re, navigare, equitare, in rheda vehi, propositum est; vero duabus postremis rationibus, citra defatigationem, diutius exercetur corpus, hae ideo antepondae sunt; oblectamenta rerum rusticarum, si nihil obstet, haud negligenda.

Si harum rationum in usu perstemus, atque nec has, nec remedia supra memorata, temere abjiciamus, morbum, etiam si nulla medicina radicatus avellendum, leviolem fore saltem, non dubitandum; quoniamque hic, non nisi sero, et toleratis multis, levamen mansurum et certum expectare licet; quae, de hypochondriaci differens, Montanus in lucem edidit, citare non absolum erit, “ In curatione non licet praefinire  
 “ tempus mensis unius, aut anni, sicut in aliis  
 “ contingat; sed oportet in toto vitae suae tem-  
 “ pore curationi operam dare, interdum cura-  
 “ tioni, interdum praeservationi, attendendo.”

F I N I S.

